

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0094

0092

0098

0088

0103

0083

0143

0043


0193

0593

1093

Ende

Anfang



83

die, cum devotius et ardentius oraret, ecce angelus Gabriel cum immenso lumine oranti astitit, quem ille, ut vidit, obstupuit et turbatus fuit, cui angelus: noli timere, Joachim, quia exaudita oratio tua, et lacrymae tuae adscenderunt ante Deum, et ecce, Anna uxor tua pariet tibi filiam, et vocabis nomen ejus Maria, et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae. Haec erit major excelsior omnibus mulieribus, et virgo in perpetuum manebit, et nihilo minus filium altissimi concipiet et generabit et mater filii Dei vocabitur. Et hoc tibi erit signum: dum veneris ad Jerusalem et per auream portam ingredi volueris, Annam uxorem tuam obviam habebis, quae in tuo aspectu jucundabitur corde. Et his dictis disparuit angelus. In hoc ergo loco prostrati adoravimus, et indulgentias recepimus (†). Porro quidam peregrinus inter colloquutiones circa hunc locum hoc problema adduxit: ecce, inquit, facimus festum de Sancta Anna, et non de S. Joachimo, qui tamen aequae sanctus fuisse, ut Anna, deprehenditur ex illa legenda. Hoc problema quidam solvere conati sunt inducentes mirabiles errores de conceptione beatæ Virginis; dicentes, eam ideo fuisse non in originali peccato conceptam, quia antequam Joachim et Ancha convenirent sub aurea porta, inventa est in utero habens de Spiritu S. Alii dicebant, quod solo osculo Joachim conceperit sine virili semine Anna. Et multae inconvenientiae fuerunt inductae ab eis, qui causas assignare contendebant, quare Annae festum potius quam Joachim celebraretur.

De Bacurim, ubi Semei maledixit David regem.

Ulterius ascendimus et per latus clivi montis Bahurim processimus, in quo quondam fuit castrum, Baurim nomine, de quo habetur 2 Reg. 16. Aliqui libri habent Bahurim. Via vero regia sub castro descenderat. Stetimus ergo ibi et factum memoria dignissimum consideravimus. Siquidem rex David pulsus de Jerusalem cum omni suo exercitu a suo filio Absalon cum ad hunc locum venisset, egressus est de castris quidam Semei dictus et stetit regemque et universos servos ejus maledixit et lapides contra eos misit et terram

6 *